



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

II. Vtrùm simplex obedientiæ votum habeat coniunctam promissionem
homini factam, & è contrario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

locum erga illū obedientia. Vnde actus ille promittendi & assumendi alium in superiore & Prælatum, proximè & ex obiecto non habet honestatē obedientiæ, neq; ab ea virtute elicitur, sed à religione, cū illa promissio fiat in Dei cultum, eo q̄ ad perfectionem assequendam utilis censetur. Nihilominus tamē ex fine participat ille actus honestatē obedientiæ, quatenus ex amore illius procedit; ideo enim quis hunc assumit vt superiore, vt in omnib. suis actibus possit obedientiam exercere; & idcirco, quamvis encomia, & laudes obedientiæ, quæ in Scriptura & Patribus leguntur, propriè dici videantur de ipso vsu & exercitio obedientiæ, quale est illud 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victima*, & similia: nihilominus etiam conueniunt in hunc actū, qui ad tale exercitium voluntariæ obedientiæ supponitur, sc. voluntariam subiectionem huic personæ promissione firmatam: nam in hoc actu dixi virtute, & quasi in radice tota honestas obedientiæ continetur, & intenditur: vnde in illum optimè quadrat ratio tradita à Gregor. li. 35. Moral. c. 10. ob quam obedientia victimis præfertur, *Quia per victimas, inquit, aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria maciatur*: hoc enim sacrificium propriæ voluntatis maximè fit in eisdem voluntatis subiectione, & promissione: vnde in illam etiam conuenit seruata proportione, q̄ de virtute obedientiæ idē Gregor. eodem loco dixit talem esse virtutē, *qua sola virtus menti inserit, inserit autē custodit*: nam hoc etiam suo modo facit hæc voluntaria subiectio ad aliquem loco Dei constitutum, nam illius prouidentia, & cura, & diuino auxilio per illum tanquam per Dei ministrū præstito, virtutes facilius acquiruntur, & conseruantur, vt elegatè Basiliius in locis supra citatis declarat. Neq; huic efficacitæ talis promissionis obstat, quod p̄ illam non detur propria iurisdicctio ei, cui obedientia promittitur, satis est enim q̄ acquirat, vel ius ali quod dominatum, quale est domini in seruum, vel patris in filium; vel quod acquirat potestatem exigēdi materiam illam vt Deo debitam ex vi promissionis, quæ omnia latius in sequentibus exponemus.

22. *Difficilis ad obedientiam simplicem.*

Vna vero superest difficultas propria huius dissertationis, in qua specialiter de voto obedientiæ omnino simplici inquiritur; & quæ hæcenus diximus ad summum persuadent obedientiam similit̄ obedientiæ discipulorū Christi, esse laudabilē, & voto consecrabilem. Huiusmodi autē solum est obedientia religionis, in qua plures sub vno capite Christum representantes congregantur: ergo inde probari nō potest esse consilium extra hunc statum obedientiam alicui promittere: imo neq; esse bonū, aut tutum, quia tunc non potest assumi aliquis tanquam Christi vices gerens vt ei obedientia promittatur: nullus n. potest in Ecclesia vices Christi gerere, qui auctoritate, & potestate publica non sit ad tale munus destinatus, quod in p̄senti non seruatur, sed solū priuato iudicio, ac voluntate eligitur p̄sona, cui talis promissio fit. Et ob eādem causam non videretur tuta talis promissio, cū solo priuato iudicio, & non aliqua publica approbatione nitatur: non est ergo hæc obedientia apta materia vt per tale votum Deo consecratur.

23. *Obedientia simplex est honesta, & laudabilis.*

Nihilominus dicendum est etiam hanc promissionem ex suo genere optimā esse, si cum debitis circumstantiis fiat. Hoc n. satis persuadet Ecclesiæ consuetudo: solet enim sæpe tale votum fieri à virtis pijs extra religiosum statum, quod iudicio omnium prudentum laudabile est, & per se loquendo, obligat. Et licet ad proprium statum religiosum necessaria sit ecclesiæ approbatio specialis vt li. 2. ostendimus, nō tamen esse necessariam ad omnem viuendi modū participantem, seu imitantem aliquo modo illum statū, aperte sentit Caiet. 2. 2. q. 183. a. 1. & Nauart. comm. 1. de Regular. Vnde fit vt sæpe in aliquo viuēdi modo,

vel ab aliquibus personis emittantur tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ sine speciali approbatione Ecclesiæ, quæ nihilominus vera sunt, & valida, licet purè simplicia, vt Nauart. etiam dixit. comment. 1. de Regular. sæpius docet. Quocirca omnia quæ de obedientiæ honestate diximus, ad hoc simplex votum applicari possunt: nam etiam tale votum fit homini, vt vicem Dei tenenti, vel è contrario fit Deo, vt homo nomine ipsius præcipiat quæ ad maius animæ bonum expedire iudicatur.

Neq; ad hoc necessarium est vt talis persona potestatem aliquam ab Ecclesia habeat, quia non per potestatem iurisdictionis, sed per potestatem dominationis præceptura est, q̄ potestatem ab ipso metu uolente priuatum accipere potest. Neq; est etiam necessarium vt habeat aliquam publicam, seu authenticā approbationem, quia tale etiam votum non est publicum, sed priuatum. Satis ergo est quod prudenti iudicio, sine morali probabilitate talis persona apta & habilis existimetur, vt ei possit aliquis curā animæ suæ per specialem obedientiam committere. Regulariter autē tale votum securius fit respectu alicuius, qui pastoralem curam in Ecclesia habet, vt si seculari qui pastoralem curam in Episcopo specialem obedientiam voueat, vel alicui Prælati alicuius approbatæ religionis, vel fieri etiam potest parochi, aut discreti cōfessori; quamquam tunc securius fortasse erit votum facere respectu huius, vel illius personæ in individuo, cuius virtus, & prudentia probata esse possit, quam generatim respectu cuiuscunq; Confessoris. Deniq; hęc non descendimus ad particulares circumstantias, ex quibus in quocunq; voto potest aliquando esse periculum: satis ergo est quod actus ex se, ac prudenter factus bonus, ac religiosus sit.

CAPVT II.

Utrum simplex obedientia votum habeat coniuu- etiam promissionem homini faciam, & è contrario.

Ratio dubitandi est, quia licet votum hoc Deo fiat, non tamen fit de obediendo ipsi Deo in se, sed de obediendo huic, vel illi homini: ergo necessario includit promissionē homini factam propter illū, quæ fit Deo. In contrarium autē est, quia si ibi esset aliqua promissio humana, illa sufficeret, vt promittens maneret obligatus ab obedientiam tali homini: ergo promissio obedientiæ, etiam si fit de obedientia spirituali, vt sic dicam, nō est verum votum, sed humana promissio: sicut qui promittit alicui facere pro illo factum, quamuis rem sacram promittat, non facit votum, sed humanam promissionem.

In hac re prima sententia esse potest, semper in hoc voto interuenire duas promissiones, humanā, & religiosam; ex quib. humana est veluti materia religiosæ, promittit enim homo homini obedientiam Deo, aut promittit seruire fidelitatem in obedientia, quā illi promittit. ita videretur sentire D. Th. q. 88. a. 3. ad 3. vbi sic inquit, *Votum sibi Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini, & ipsi promissio boni, quæ fit homini, potest cadere sub voto; & per hunc modum intelligendum est votū, quo quis vouet aliquā Prælatis, vt ipsa promissio facta Prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet obligat, vouet Deo se impleturum quod Prælatus promittit.* Atq; idem sentit Caiet. in fine illius articuli; qui consequenter inserit in transgressione huius obedientiæ promissæ duas esse malitias, vnam contra religionem ratione voti Deo facti; aliam contra fidelitatem humanam: nam licet hanc posteriorem dicat esse contra obedientiam, non loquitur de malitia formaliter opposita speciali virtuti obedientiæ, sed de malitia opposita fidei debite homini in ratione promissionis, vt ex discursu eius manifestè constat: sed quia illa promissio fuit de obedientia

praestanda tali homini, ideo malitiam illam contra obedientiam vocat. Potestq; hac opinio ex supradictis suaderi, quia ex vi voti obedientia homo potest praecipere, non ratione iurisdictionis, sed ratione potestatis dominativae: ergo oportet ut hanc potestatem acquirat ex vi promissionis alterius: ergo necesse est ut ei fiat aliqua promissio, quia nemo potest acquirere novum ius, & potestatem, nisi per donationem, vel promissionem sibi factam. Et confirmatur, nam votum obedientiae alicui homini factum si ab ipso non acceptetur, non obligat, ut ex vltu & sensu hominum constare videtur; huius autem ratio alia esse non potest, nisi quia tale votum quasi materialiter pendet ex promissione facta homini, quam supponit, quae promissio non acceptata, nulla est, & consequenter etiam votum, quod in illam cadit.

Contrariam sententiam tenet Sor. lib. 7. de Iustitia. q. 2. art. 3. ad 1. ubi consequenter asserit in transgressione obedientiae voto promissae vnicam tamen esse malitiam, quia licet illud obsequium (inquit) constituat in genere obedientiam, non tamen nisi per solum votum: Et ratione subdit, dicens, *Haec obedientia Praelato votum, sed Deo quod est Praelato obediens*. Declarat hoc & confirmat exemplo voti faciendi elemosynam proximo; nam in illo nulla intercedit humana promissio, sed soli Deo fit votum dandi elemosynam. Vnde si elemosyna committatur, nihil fit contra misericordiam, fidelitatem, aut iustitiam debitam homini, sed solum contra religionem ratione voti. Et explicatur praeterea in hunc modum; nam qui obedientiam vouet, non intendit beneficium aliquod homini conferre, sed soli Deo obsequium, nec enim quaerit utilitatem eius cui obedientiam vouet, sed suam spirituale commodum, & honorem Dei: non ergo intendit homini aliquid promittere, sed soli Deo.

In hac duplicem quaestionem tractari posse censeo, una est de possibili, & altera de facto. Prior ergo quaestio erit, an obedientia promitti possit cum duplici promissione, vel cum vna tantum. Ad quaerendum utroque modo fieri posse pro arbitrio vouentis. Quod non dubium fieri possit, manifestum est ex discursu D. Th. nec Soro hoc negat, nam voti elemosynae eodem modo fieri potest, promittendo homini tale subsidium, & vouendo Deo implere promissionem elemosynae homini facta. Imo etiam potest fieri cum promissiones fieri concomitantur tantum, ita ut vna in altera non cadat, quae si possunt separari fieri, ut statim dicitur, cur non etiam sint cum sola concomitantia? nec enim vna cum altera pugnat, neque etiam vna alteri supponit. Dices, repugnat eadem rem simul promitti duobus. Resp. si illi inter se non habeant ordinem, sed sint quasi vltimi termini, vel obiecta promissionis, seu donationis, tunc non possent licite aut convenienter eadem res duobus promitti: at vero quando personae accipiuntur & obiecta, vel termini diuersarum rationum, & cum aliqua subordinatione inter se, tunc recte potest circa eandem rem versari duplex promissio respectu diuersorum: sicut potest quis promittere dotem filiae alterius, sese ipsi filiae directe obligando; & simul potest etiam promittere patri cum directa etiam obligatione ad illi, dare eandem dotem eidem filiae: haec namque duae obligationes non se impediunt sed potius iuuant. Ita ergo esse potest in praesenti obedientiae promissione.

Atque in huiusmodi casu verum est transgressionem obedientiae duas inuolueri malitias specie distinctas, vnam sacrilegij contra votum, aliam infidelitatis, vel iniustitiae contra promissionem humanam. Probat, quia ibi est duplex debitum diuersae rationis, & vtrumque potest sufficere, ut eius violatio sit moraliter mala, & contra particularem virtutem specie distinctam: vnde si ibi tantum esset promissio humana, nullum esset sacrilegium, sed tamen infidelitas, & e converso sic esset solum

Fr. Suarez de Statu reg. tom. 3.

votum sine promissione humana, esset tantum sacrilegium: ergo si illud duplex vinculum coniungatur, erit etiam duplex malitia. Sicut n. promissio humana iuramento firmata duplici vinculo obligat, & ideo eius transgressio, & infidelitas est, & sacrilegium. Dices, eadem ratione essent in eo peccato plures malitiae: nam praeter illas duas esset malitia inobedientiae, nam haec est contra diuersam virtutem, & videtur maxime intrinseca illi actui: & praeterea erit malitia contra illam specialem virtutem, ad quam pertinet materia, circa quam versatur talis actio, vel omisso: ut v. g. si obedientia esset de ieiunando, tunc enim transgressio esset etiam contra temperantiam. Resp. negad. seque lam; nam in primis malitia inobedientiae nunquam est specialis in transgressione specialis legis, aut praecipi, nisi directe fiat ex intentione non parendi, ut sumitur ex D. Th. infr. q. 104. a. 1. & est communis sententia. Deinde, quia in presenti casu, in quo supponimus precipientem non habere iurisdictionem, neque aliam viam ad praecipendum, nisi promissione alterius, verosimilius est, licet quis non obediat ex directa intentione non parendi tali homini, non incurrere propriam malitiam virtuti obedientiae specialiter contrariam, sed solum formalis & grauius peccare contra religionem, aut fidelitatem ratione promissionis: quia illa specialis ratio virtutis obedientiae, solum habet locum respectu proprii superioris, qui ex potestate iurisdictionis legem ferre potest; haec autem obedientia latius sumitur respectu cuiuscumque precipientis, quouis iusto titulo. Et ob eandem causam non est in tali actu specialis malitia intemperantiae, v. g. vel alterius speciei proportionatae materiae, quia ex vi talis praecipi actus ille non constituitur in illa speciali virtute, ad quam pertinet eius materia, tanquam necessarius ad honestatem eius, ut recte sensit Caiet. dict. a. 5. quia constituitur hoc modo actum in specie virtutis, pertinet etiam ad propriam potestatem iurisdictionis, ac legislatiuam, ut in materia de legibus dicitur. At vero ille actus est necessarius ex duplici promissione diuersae rationis, ut in casu supponitur, & ideo ex hoc titulo duplex malitia ibi inuenitur.

Dubitari autem ulterius potest, an vtraque illa malitia mortalis sit ex suo genere, quod non proponitur propter eam quae est contra votum, nam certum est illam esse mortalem ex genere suo, iuxta superioris dicta, sed propter aliam, quae est contra promissionem humanam. Et ratio dubitandi esse potest, quia promissio humana ex suo genere non obligat sub mortali, ut Caiet. supra docuit hac q. 48. a. 1. & 3. & infra q. 113. a. 1. estque probabilis opinio. Nihilominus idem Caiet. dict. a. 5. ait promissionem obedientiae quae fit Praelatis, etiam si nunquam voto firmetur, ex se obligare ad mortale. *Quomodo est (inquit) in perpetuum obligatiuum vinculum.* Quae ratio infirma videtur, quia perpetuitas obligationis non transfert illam ad aliam speciem virtutis, & ideo per se non auget illam quoad grauitatem eius, ut sic dicam, sed solum quoad durationem. Si ergo promissio humana ex genere suo non obligat sub mortali, quia solum obligat ex fidelitate, etiam si talis promissio sit de re perpetua, non obligabit sub mortali. Existimo tamen sensum Caietani fuisse hanc promissionem obligare ad mortale, quia non est pura promissio: loquitur enim specialiter de promissione religiosorum, in qua (iuxta multorum sententiam infra suo loco tractandam) interuenit quaedam traditio, & quasi donatio; & illam fortasse vocauit Caietan. vinculum perpetuae obligationis: quo supposito merito dicit obligare sub mortali ex suo genere, quia obligat ex iustitia. At vero in praesenti non habet locum illa ratio in eo sensu explicata, quia in voto omnino simplici non interuenit aliqua similis traditio.

Nihilominus verum censeo talem malitiam etiam esse mortalem ex genere, quod erit certius si talis pro-

6. Difficultas an votum malitiam sit mortalem ex genere suo.

7.

missio inducat obligationem iustitiae, quod aliquando facere potest: si vero sit ad eam pura, ut ex sola fidelitate obliget, res est magis incerta; nihilominus tamen materia esse potest adeo gravis, ut haec etiam promissio sub mortali obliget, sicut alibi latius dixi: talis autem esse videtur haec materia obedientiae, praesertim absoluta & per totam vitam: sic enim perpetuitas sumpta ex parte obiecti, seu materiae multum potest gravitatem promissionis augere. In particulari autem transgressio huius promissionis potest esse venialis ex leuitate materiae, ut per se constat. Hinc autem videtur probabile esse hanc malitiam in particulari actu sumptam, aliquando posse esse mortalem respectu voti, & tantum venialem respectu fidelitatis humanae: quia aliqua materia est gravis respectu diuinae promissionis, quae est leuis respectu humanae: sicut promissio humana iuramento firmata aliquando obligat sub mortali, quae per se tantum obligaret sub veniali; & tunc violatio talis promissionis iuratae, licet sit mortale peccatum, ut est contra iuramentum, solum erit veniale, ut est contra promissionem humanam: ita ergo esse potest in presenti, in particulari autem haec discernere difficile est, & prudenti arbitrio est committendum.

8. *Affertio secunda, obedientiam potest fieri per solam promissionem factam homini.*

Quod autem obedientia promitti etiam possit vnicuique tantum promissione, recte probatur argumentis factis pro secunda sententia. Vterius autem, ut clarior res fiat, addendum est, cum duplex promissio hic possit intercedere, diuina scilicet, & humana, per quamlibet earum solam posse homini obedientiam praestari, quamuis cum dissimili obligatione. Et quidem fieri hoc potest per solam promissionem humanam, ex doctrina ad D. Th. data, sic colligi potest: nam promissio obediendi homini materialiter cadit sub voto, & illud firmatur: ergo potest per se sola fieri sine voto. Pater consequentia, tum quia prius potest fieri sine posteriori, at vero illa promissio, quatenus est materia voti, antecedit: ergo potest homo in ea consistere, & votum non adiungere: tum etiam, quia tale votum est merè voluntarium, & non habet necessariam connexionem cum tali promissione. Potest ergo illa sola fieri, & obligationem inducere, quamuis inferiori obligationi voti. Confirmatur, ac declaratur, nam per pactum humanum, potest quis se alteri tradere in seruum, vel se obligare ad obediendum illi humano famulari, nulla adiuncta religionis obligatione, aut iuramento, aut votum: ergo per simplicem etiam promissionem humanam potest se obligare ad obediendum alicui in actibus studiosis, seu virtutis, nulla adiuncta obligatione religionis, aut voti.

9. Dices, obedientia, de qua hic loquimur, debet esse ordinata ad maiorem animae perfectionem, & consequenter ad cultum Dei: ergo promissio eius non potest separari à vera ratione voti. Respondetur negando consequentiam: nam propria ratio voti non limitatur ex materia que promittitur, sed ex persona cui promittitur, & ideo, ut paulo antea dicebam, licet res facta promittatur, si promittatur homini, & non Deo, non est votum. Sic ergo licet alicuius promittat obedientiam homini in rebus spiritualibus, seu pertinentibus ad propriam perfectionem, si reuera non faciat talem promissionem Deo, non erit votum; hoc autem quamuis fortasse in usu raro contingat, tamen non repugnat, & simpliciter pendet ex intentione penitentis, & fortasse aliqui conuersi, qui non profitentur religionem, sed pactum cum ea inueniunt, se obligantes ad obsequia eius, non faciunt proprie votum obedientiae, sed pactum quoddam humanum, & idem est de quibusdam hospitalarijs, qui promittunt obedientiam praefecto hospitalis, de quibus videri potest glossa in Clem. i. de decimis, & Panorm. in rubr. de Regular.

Promissio hominis facta non est votum.

10.

Quod etiam è contrario obedientia possit pro-

mitti per solum votum factum Deo, etiam si homini sit obediendum ex vi talis voti, propter rationes supra factas, quae rem satis demonstrant, probatur à priori, quia materia per se requisita ad hoc votum, non est promissio facta homini, sed est ipsa obedientia in futurum illi praestanda: sicut in voto elemosinae materia per se requisita non est aliqua promissio humana, sed est ipsa elemosina, ut postea exercenda: ergo promissio humana non est per se requisita ad tale votum: solum enim posset ex parte materiae videri necessaria: ergo sine illa potest fieri tale votum quia fieri potest sine his, quae sunt per accidens, cum hoc pendeat ex hominis voluntate. Atque in hoc casu merito dixit Soto in transgressione huius obedientiae solum esse vnam malitiam contra religionem; quia solum intercedit vna obligatio voti, contra quam peccetur.

Neque contra hoc vrgent auctoritas D. Tho. aut rationes factae pro illa priori sententia. Nam D. Tho. vel loquitur tantum de facto, de quo statim dicemus, & non excludit alium modum possibilem, vel certe solum explicare voluit quomodo promissio facta homini possit habere obligationem voti coniunctam; nunquam tamen dixit vnam promissionem sine altera esse non posse. Ad primam verò rationem respondetur primo, ut aliquis possit praecipere alteri obligandum illum ad obediendum, satis esse votum Deo factum de obediendo tali personae; quia tunc obligatio non oritur ex proprio domino, vel iurisdictione praecipientis, sed immediate ex mera obligatione fidelitatis ad Deum, quae est religio. Vnde tunc homo praecipiens solum se habet tanquam applicans materiam voti; ut si quis vouisset dare elemosinam omni pauperi petenti, tunc pauper petens obligaret ad dandam elemosinam; non quasi habens ius, aut potestatem in alio, sed tanquam exhibens, seu proximè applicans materiam voti, ita ut illa proposita statim vrgeat eius obligatio: idem clarè sequitur in voto sequendi consilium alicuius: idem ergo est in voto faciendi alterius voluntatè, quod hic vocamus votum obedientiae. Quamuis n. talis voluntas per se non sit efficax imponendi obligationem; tamen ad praesentiam illius voluntatis, ut sic dicam, ipsum votum obligat. Quapropter secundo addi potest, ut superior non solum possit quasi applicare obligationem voti, sed etiam illam exigere, & ad illam seruandam cogere, necessaria erit promissio ipsi superiori facta, vel quod aliunde iurisdictionem habeat, & hoc probat optimè ratio facta, & declarabitur infra latius circa statum religionis, in quo maxime hoc locum habet.

Ad alteram rationem negamus votum obedientiae hoc modo pure, ac simpliciter factum pendere per se & quoad valorem suum ex hominis acceptatione, quia nulla promissio illi fit, sed soli Deo. Vnde distinguere oportet valorem voti ab usu, nam usus pendet à voluntate eius, cui votum promittitur, nam si ille nolit praecipere, alter non poterit obedire, vnde multo minus poterit ad usum voti obligari, quasi in actu. Nihilominus tamen in habitu, seu in preparatione animi obligatus esse potest ad obediendum si alter velit praecipere, quia votum validum fuit, quia quoad hoc non pendet ex alterius voluntate. Ad id verò considerandam etiam in hoc esse intentionem voluntatis, potest enim esse omnino absoluta, de obediendo quoties alter velit praecipere, & tunc procedunt quae diximus. Posset verò talis intentio esse etiam conditionata, scilicet promittendi alicui obedientiam, si velit ipse eam acceptare; ita ut nisi ille acceptet votum quando emittitur, vel quando illi notum fit, nulla obligatio in posterum maneat, & tunc non impleta conditione votum euacuabitur, non quia includat promissionem ipsi homini factam, sed quia

Includit conditionem pendentem ab aliena voluntate, quod longe diuersum est: nam qui vouet ingredi religionem, si pater consentire, nullam obligationem patris facit, & nihilominus obligatio voti pendet ex consensu, & quasi acceptatione patris, quia intentione conditionata factum fuit: ita ergo in presenti dicendum est, si votum predicto modo fiat.

Iam vero superest alter sensus questionis, scilicet, quo istorum modorum de facto fiat, seu interpretandum sit obedientie votum. Nam D. Thomas significat fieri priori modo, id est, cum adiuncta humana promissione: Soto vero sentit potius fieri posteriori modo, id est, pure & solitarie. Mihi autem videtur, quatenus questio hæc tantum est de humano facto, quod pendet ex libera intentione operantis, nihil firmiter in eis statui posse, sed ad vouentis intentionem esse recurrendum, & ubi de illa satis non constiterit, coniecturis esse vtendum: quatenus vero hoc non solum ex facto, sed etiam ex iure pendere potest, ita vt ex iure ipso (sub quo consuetudinem comprehendit) factum colligatur, probabiliter esse D. Thomæ sententiam. Declaratur, nam votum obedientie fieri potest, aut in religione aliqua, aut priuatim extra religionem: de priori loquitur specialiter D. Thomas & de illo probabiliter est tale votum adiunctam habere promissionem homini factam, quia & ex iure & ex consuetudine id factis colligitur, & ex fine, seu effectu, quia ex vi talis voti potest vouens cogi à Prælato ad obseruantiam Regularum. Quæ omnia ex dicendis de statu religionis euidentius constabunt. De posteriori autem modo vouendi obedientiam, nihil D. Thom. loquutus est, nec immerito, quia neque ex iure, neque ex consuetudine certum modum habet. Quoad hoc ergo inquirenda est intentio vouentis, & coniecturis vtendum. Regulariter autem loquendo, verosimilius videtur tale votum pure fieri soli Deo absque adiuncta humana promissione: quia & forma sic vouendi, & intentio tam vouentium, quam eorum quibus obedientia danda est, talis esse videtur: vt, v.g. solet aliquando nouitius intra probationis annum tria vota simplicia priuatim emitte, per quæ nec potestatem specialiter præbere intendit, sed solum se obligare Deo: neque ipsi Prælati aliquam potestatem, vel ius proprium acceptare intendunt, est ergo ibi votum obedientie pure sine humana promissione. Idemq; modus vouendi esse videtur quoties priuata persona promittit obedire confessori, v.g. Ratio supra insinuata probabilis est, quia per tale votum non intenditur aliquod commodum eius cui fit promissio, sed solum sacrificium illud voluntatis, quod Deo fit, respectu talis personæ; quæ ratio non habet locum in religioso, quia licet præcipue intendat spirituale commodum, tamen ad hoc ipsum pacificatur cum religione, cui se tradit: quod genus pacti in alio voto simplici non reperitur, vnde nec per illud datur potestas aliqua quasi coactiua, vel dominatiua ei cui obedientia promittitur, sicut per votum religionis fit. Ita ergo iudicandum videretur de hoc voto simplici obedientie, quoties aliud tam ex intentione vouentis, quam ex parte acceptantis non constiterit.

Addo insuper Ecclesiastico iure videri statutum, vt per huiusmodi votum nemo possit valide alteri in seipsum potestas dare, nisi talis modus traditionis, & voti ab Ecclesia probatus sit: quia vbi Ecclesia vult statum religiosum fieri absque approbatione sua (cap. vnico, de relig. domib. & in Ex. rauag. *Sanc. Romanæ* Ioan. XXI. de relig. domib.) eo ipso hoc etiam traditionis, & dominationis genus prohibuisse videtur. Potest enim Ecclesia huiusmodi contractus humanos irritos facere, si non fiant modo ab ipsa rescripto, & licet in presenti quoad simplices promissiones

id non fecerit, quoad traditionem autem per translationem veræ potestatis dominatiua id fecisse videtur.

CAPITULUM III.

Ad quid obliget, & ad quam materiam se extendat simplex obedientie votum.

Difficile profecto est certum terminum, aut modum obligationi huius voti ex parte materiae eius præfigere: in voto enim obedientie, quod in religione fit, solet materia iuxta regulam talis religionis limitari, vt infra videbimus; hic autem nulla est particularis, iuxta quam hæc obedientia promittatur: vnde ergo poterimus designare certos terminos huius obligationis? Dicit fortasse aliquis, tale votum nullum habere terminum, nec regulam præter prudentis arbitrium eius, cui obedientia promittitur, itaq; obligabit hoc votum ad quodcumq; licitum & honestum, solumq; excludentur ea quæ mala sunt. At hoc profecto incredibile apparet, quia hoc votum non est excellentius, quam sit votum obedientie religiosa: sed obedientia religiosa non tam late patet: ergo neque illud votum. Item quia incredibile est, cum qui sic vouet obedientiam, posse obligari ad quæcumque opera penitentiae, v.g. orationis, vel contemplationis, peregrinationis, & similia.

De hac re nihil inuenio dictum in particulari ab auctoribus, ex his vero quæ vel de obedientia in communi, vel de obedientia religiosa docent, cum proportione sumenda est ratio huius obligationis, & limitatio materiae eius. Primum ergo in tali obedientia subintelligendæ sunt communes conditiones, scilicet, qd sit de re possibili, & honesta, quæ conditiones per se satis claræ sunt ex doctrina Augusti. serm. 6. de verbis Domini, & habetur in c. *qui resistit* 11. q. 3. & Ambr. lib. de Paradis. c. 6. & ex alijs quæ referuntur ex c. *non semper*, v. l. q. ad cap. *Imperatores*, eadem 11. q. 3. Adde vero in presenti non solum esse necessarium vt opus sit bonum, sed etiã vt non sit impeditiuum maioris boni. Cuius ratio est, quia hoc votum obedientie, per se ordinatur ad maiorem perfectionem vouentis: ergo non est verisimile voluisse obligari ad obediendum in his, quæ ex se sunt impedimenta perfectionis, quæ sunt opera impeditiua maioris boni. Et confirmatur primum, nam de religioso dixit D. Thomas quod lib. 1. q. 8. a. 15. & quod lib. 1. q. 5. art. 10. non obligari ad obediendum Prælato, si præcipiat contra regulam, quia respectu religiosi illa opera essent impeditiua maioris boni: ergo eadem proportione censendum est in presenti de omnibus operibus repugnantibus meliori bono. Hoc vero præcipue intelligendum est de illo opere, quod ex se habet excludere maius bonum, vt est, v.g. matrimonium, nam si tale opus immediate non potest promitti per votum, nec comprehendendi poterit sub obedientia per votum promissa. Hinc etiam non poterit quis ex vi talis obedientie impediri ne statum religionis assumat, vel si religiosus fieri velit, non poterit obligari, vt in religione laxiori, ommissa strictiori id faciat, quia hoc esset impedire illi maius bonum.

Dices, ergo eadem ratione non poterit quis ex vi talis voti obligari, vt legat, v.g. quia posset excusari dicendo se impediri à contemplatione quæ est maius bonum: & ob eandem rationem non poterit obligari ad non ieiunandum, vel ad omissionem similis operis: quia opus illud melius est, quã eius ommissio, tam secundum se, vt constat, quam in tali persona; cum alias non teneatur ex aliqua regula ad determinatas actiones, vt supponimus. Respondetur primum, non esse similem rationem, neque actiones has particulares etiam ex genere suo inferiores sint in gradu perfectionis, quã alia; proprie dici posse impeditiua maioris boni, vt supra declarauimus, tractando de materia

